



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Obtruditur ei Viennensis Episcopatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ri ætate graues nunquam se de dignitate, fructuq;  
corum donorum edoctos fuisse: & quid rerum  
essent, quid sibi vellent indulgentiæ, ad id loo-  
funditus ignorasse. Nonnulli etiam, dum ea pra-  
dicarentur, lacrymis temperare nequibant, cum  
suam nimiam priuatim, tum publicam tempo-  
rum calamitatē miserantes, ac flentes, quod tan-  
diu per foedam inscitiam, & impiam Hæreticorū  
fallaciam tot bonis fraudati essent, quæ non mo-  
dò nō usurparētur, sed etiam indignissimè passi  
velut abiecta procularentur. Igitur hæc sedul-  
tas Canisij fecit, ut liberalitati Pōficiæ tam mu-  
ti in præsens Viennæ de plebe, deque nobilitat  
animos panderent, quot nunquam post hæ-  
sim ibi exortam.

*Obtruditur  
es Viennensis  
Episcopatus.*

Inter hæc absumentebatur laboribus, conficie-  
batur zelo Domus Domini: sed nihil pupugita-  
crius macerauitque, quam suborta mox formi-  
do, & angor animi, ne forte ab sua humilitate ad  
honorum splendorem eiiceretur. Degebat Vien-  
næ sancti Stephani (ea est sedes Episci) Cano-  
nicus, idemque Doctor Burcardus Vondeberg  
Nouercæ Canisij frater, homo opulentus. E viuis  
sublato, vti nuper memorauimus, Viennensi  
Episco-

Episcopo, subiit hunc cogitatio, posse Canisium  
in vacuam sedem imponi. Quod cum Hierony-  
mo Martinengo Apostolico Nuntio indicasset,  
& Caroli Cæsaris legato Guilielmo à Pictauia, &  
Martino Gusmano Camerario Regio, omnes tā-  
quam diuinitus iniectum cōsilium omnino vr-  
gendum, & in rem omni ope deducendum su-  
scipere. Sed opportunitas defuit Guilielmo ad  
nuptias Regis Poloniæ, qui Ferdinandi Regis fi-  
liam duxerat, festinanti: nec initio Gusmanus  
Principis copiam nactus est. At Martinengus, vt  
erat summè cupidus religionis, & momentum  
agi maximum Episcopi talis creatione, penitus  
in animum suum demiserat, primo quoq; tem-  
pore Regem alloquitur. Quam orationem vt au-  
diit Ferdinandus, Utinam, inquit, perinde impe-  
trabile afferres, quam salutare consilium narras.  
Sed enim vereor, ne, quod in Claudio Iao sumus  
experti, machinas hic quoq; incassum admouea-  
mus. Non eadem esse tempora Martinengus re-  
spondit: Societatem adultam iam satis, posse iam  
hominis vnius iacturam multo commodius fer-  
re. Verum cuncta in ipsomet Canisio verti: si ille  
flectatur, cetera in procliui fore: eius se animum

K 3

tentat-

tentaturum. Inuitat subinde Petrum, ac tempe  
stiue, & meditatus quid agatur, quantus aperia  
tur de Ecclesia Dei bene meredi campus, eloqui-  
tur. Cumq; mentionem eiusmodi animo ille, au-  
ribusq; respueret, Age, inquit, profer in medium,  
quid ita tantopere commoueare. Aderat, & Col.  
legij Rector Nicolaus Lanarius, cuius in literis hęc  
hodieq; disputatio extat. Suboluerat paulò ante  
& res, & princeps autor Canisio. Eo minus subita  
appellatione commotus, in hunc modum re-  
spondit. Ante omnia, inquit, cum constet mihi  
inuentorem huius consilij esse Doctorem Bur-  
cardum, satis appareat nequaquam illud à Spiritu  
sancto, sed à carne, & sanguine proficisci. Neq; id  
ego solùm, sed populus mecum intelligit, cui  
nunquam illa abstergetur opinio, me studio, &  
ambitione, si non mea, certe Nouercæ meæ fra-  
tris Episcopale solium inscendisse. At qui nemo  
assumit sibi honorem, sed qui vocatūr à Deo. Me  
verò neutquam vocari à Deo, non solum inde  
intelligo, quod eam cogitationem nemini Prä-  
positorum ille iniecit: sed multo etiam clarius,  
quod ad vitæ diuersum hoc genus iam pridem  
indubitanter vocauit. Habeo voluntatis huius  
certif.

*Oratio qua  
Episcopatum  
recusat.*